



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Vita B. Francisci Xaverii**

**Torsellini, Orazio**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

XII. Viua in calce sepelitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42323**

runt non tantum Societati IESV, sed Lusitanis mercatoribus, Christianæque religioni. Nam paulo post Francisci obitum, ad Cantonium portum accedendi, ibique commercij causa commorandi, vulgo facta copia est Lusitanis. Et eorum opinio fuit, Xaverium suis precibus obseptos Sinarum fines aperuisse. Anno autem post Francisci excessum circiter xxx. remissa paulisper à Sinis finium custodia, Patres aliquot è Societate IESV, Francisci virtutis æmuli, aliquando penetrarunt in Sinas, ibique Deo propitio Christianæ religionis fundamenta iecerunt.

## CAPVT XII.

*Viua in calce sepelitur.*

*Lusitanorum sensus in morte Xaverij.*

**V**BI Francisci mortem fama vulgavit (quippe febris perniciosior quàm minacior omnes præter ipsum fefellerat) Lusitani penè omnes, qui reliqui erant in insula, tam tristi nuncio exanimati, confestim ad eius velut ad communis parentis funus conuolant. Ac primò gemitibus ac lamentis tota circa tugurium personabat area: deinde triste silentium consecutum est, ad contemplandum Xaverium dolore conuerso. Cæterum eius

corpus, imaginem animi, effigiem cæle-  
 stis felicitatis, intuentes, fletum integra-  
 bant; iucundissimoque aspectu neque a-  
 nimos neque oculos fatiare poterant. Cor-  
 pore Franciscus fuit satis amplo robu-  
 stoque, staturâ procerâ, iustam haud fa-  
 nè multum excedente, colore candido,  
 facie honesta ac liberali, vultu hilari qui-  
 dem, sed viuido & ardenti, cæsijs vege-  
 tisque oculis, naso modico, barba & ca-  
 pillo naturâ nigro, sed iam ætate, aut cu-  
 ris potiùs, cano; vestitu tenui vulgariq;  
 sed mundo. Tunica talari, vt supra dixi-  
 mus, induebatur (Indorum ritu Sacer-  
 dotum) distincta, vt togæ etiam vicem  
 haberet. Itaque subibat spectantium a-  
 nimos eximia illius comitas benignitas-  
 que in omnes singularis: magnitudo a-  
 nimi periculis ac difficultatibus inuicta:  
 mortis, cuius cæteri nomen horrent, per-  
 petua contemptio: diuinæ gloriæ ac reli-  
 gionis proferendæ infinita cupiditas: sub-  
 missio magnitudini animi par: pietas ac  
 sanctitas prorsus egregia. Igitur illâ sua-  
 vitatem morum, illud exemplū fortitudi-  
 nis, illud agrorum auxilium sibi ereptū,  
 talem præconem religioni, tantum præ-  
 fidū ademptum esse rebus humanis, no-  
 tum sydus, quod perpetuæ penè Indo-  
 rum nocti illuxisset, quod Euāgelij lucem  
 cali-

*Franciscæ  
 forma ac  
 figura.*

caliganti attulisset Orienti, subito occi-  
 disse querebantur. Quem propagaturum  
 in ultimas terras religionem? Quem æ-  
 gris Lusitanorum corporibus atque ani-  
 mis saluti fore? Quem in Francisci locum  
 successurum? Interea dum Lusitani gra-  
 bato circumfusi iucundissima Francisci  
 specie memoriaque oculos & animos  
 pascunt suos, tantamq; iacturam, lacry-  
 marum pleni, suiq; iam immemores,  
 lamentantur, Antonius interpres, qui  
 Francisco ægrotanti ac morienti præsto  
 fuerat, accutrit ad nauim, Sacerdotalem  
 Francisci habitum ( ibi enim asseruaba-  
 tur ) petiturus. Lusitani qui erant in na-  
 ui, Xauerij obitu nunciato, obortis la-  
 crymis crebros ediderunt gemitus, non  
 præsentis sui tantum, sed futuro quoque  
 Pereriæ domini sui absentis dolore per-  
 culsi. His igitur comitatus interpres, non  
 sine fletu domum reuertitur. Francisci  
 deinde corpus sacerdotali vestitu ritè in-  
 dutum, de sententia Lusitanorum, ligneo  
 loculo ( vt Sinarum mos est ) includere  
 statuit: Quod quidem diuino potius  
 quàm humano consilio factum ostendit  
 euentus; vt ea scilicet, quæ sancto corpo-  
 ri diuinitus contigerunt, essent homini-  
 bus notiora. Corpus igitur arca lignea  
 inclusum, postero die multis prosequen-  
 tibus

*Sacerdo-  
 tali vesti-  
 tu sepeli-  
 tur.*

tibus effertur: & funere, quantis maximis in illa rerum inopia studijs potuit, celebrato, in ipso portus littore ritè mandatur sepulturæ. Iam terram erant iniecturi, cum repente, diuino vtique instinctu, placuit, ad carnem exedendam, viam corpori calcem adhiberi; vt nuda deinde ossa in Indiam deferrentur. Itaque aperto loculo magna vis calcis inditur, quæ citius conficeret carnem; tum arcâ diligenter occlusâ ibidem humatur. Tumulo grandes lapides sepulcri indices impositi; vt si quis è Societate id quæreret, illis indicijs admonitus nullo negotio reperiret. Discessum est à funere multis cum lacrymis, incredibili cum mœrore, ac desiderio talis ac tanti viri.

*Loculo vi-  
ua calx  
inditur.*

## CAPVT XIII.

*Corpus integrum repertum Malacæ  
denuo humatur.*

VERE deinde primo, cum adesset tempus, quo tempore nauis, quæ Franciscum aduexerat, Malacam solueret; Sina interpres, quem diximus, siue Xauerij caritate, siue diuina magis, vt stimulantè, nauarchum adit, & ingemiscēs, itane verò; inquit, Franciscū Xauerium,  
V  
qui